



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joachim von Sandrarts Academie [Akademie] der Bau-,  
Bild- und Mahlerey-Künste [Malerei-Künste] von 1675**

**Sandrart, Joachim von**

**München, 1925**

Aus der lateinischen Ausgabe der Teutschen Academie von 1683

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47761](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47761)

A C A D E M I A  
P I C T U R Æ  
E R U D I T Æ .

LATEINISCHE AUSGABE DER TEUTSCHEN ACADEMIE  
VON 1683

DIE ERGÄNZTEN UND NEU HINZUGEFÜGTEN BIOGRAPHIEN

ACADEMIA  
PADERBORNENSIS  
ERUDITIONIS  
PATERNO BENEFICIO DE FENIX KACERBERG  
VON 1737





DRITTES BUCH DES ZWEITEN TEILES

AUS DEM 26. CAPITEL: TREDECIM PICTORES NATIONIS GALLICANAE

VIII. \*Raphael Trichetus,<sup>1593</sup> Fresnensis. Una cum aliis Nationis Gallicae pluribus subsidiis Regiis eodem tempore Romae degebat studiisque nobilissimarum Artium occupabatur et in specie Picturae, Architecturae et Statuariae operam dabat. In quibus non ipse tantum mire progrediebatur, sed pro tota quoque posteritate utilissimum lingua Italica edebat Librum, cui titulus est: Trattato della Pittura di Lionardo da Vince, con tre Libri della Pittura e il Trattato della Statuaria di Leon Battista Alberti. In quo magno cum judicio docetur, quomodo imaginibus motus quasi naturalis affectusque genuinus et vita ipsa tribui queat, cum variis figuris Michaëlis Angeli Buonaroti nec non Nicolai Poussinii aliorumque, qua ratione imagines eleganter disponi vestibusque decoris superindui debeant adjectis quibusdam de symmetria et Proportionibus nec non occultioribus aliis de Prospectiva; quas omnia Lector Benevolus ex ipso commodius perspicere poterit opere. Ubi id saltem annecto multas figurarum supradictarum e Musaeo Technophili illius celeberrimi Domini de Chantelou defunctas esse, cum aliis quibusdam, quae e propriis ipsius Autoris studiis promanarunt.

IX. \*Carolus Brunius [Charles le Brun],<sup>1594</sup> Pictorum Regis Galliae primas. Lumen jam est totius Regni Galliarum primarium. Postquam enim Magnus ille hujus Regni Director Cardinalis<sup>1595</sup> in ordinem redegisset plurima alia, ad Artium quoque ruinas conversus, ut easdem restitueret, non maximi tantum semper aestimavit digniora inque hisce studiis feliciora ingenia, sed juvenes quoque, qui aliquam futurorum fructuum spem promitterent, propriis sumtibus sustentavit plurimos, quos deinde suppeditatis necessariis omnibus in Italiam Romamque in specie misit, ut studiis ibidem Diagraphices, Picturae nobilioris, Statuariae et Architecturae, juxta omnes huc requisitas regulas, sedulo incumberent. Unde Gallorum Natio in omnibus hisce Artibus longe evasit sublimior et subjecta sibi educavit longe nobiliora, quam antehac unquam. Idem etiam ubicunque sive statuas quasdam antiquas praestantiores, sive numismata similia, sive opera diagraphica, sive tabulas pictas rariores, sive alia singularia atque curiosa ejusdem generis ullatenus comparare posset, largis sumtibus coëmta in Galliam transferri curabat omnia, sive in Palatium suum Richelianum, sive Lutetiam collocanda, ut tota quasi in Galliam transportata videretur Roma. Hac igitur methodo, ad sublimiora



promovendae juventutis, Gallorum Natio magna hactenus prae coeteris gavisata est praerogativa, cum praesertim idem a Richelio introductus pridem, in commodum tenerioris aetatis mos, in hunc usque diem continuetur, eunde rarioribus ingeniis jam tantopere abundat gloriosissimum illud Regnum.

Inter illa igitur praecipuam meretur laudem Carolus iste Brunius, pictorum Regiorum Antesignanus. Qui non tantum a tenera statim juvenia omnia edidit futurae perfectionis specimina, sed porro non minus in Patria, quam Romae etiam et per totam Italiam tandemque in specie Parisiis tantam assecutus est magni Nominis celebritatem, ut nunc intimiore fruatur favore Regio. Latissimus autem hic sese aperiret excurrendi campus, si omnia illius opera laudante describi deberent calamo, quae plaudente ille expressit penicillo. Sufficere autem poterit vel unicum in gratiam illius compositum carmen, quod brevi elaudit compendio amplissimos laudum illius cumulos. Cujus verba in lingua Gallica sunt sequentia:

Sonnet

à Monsieur Le Brun, Premier Peintre Du Roy, Pour les Peintures de la Chapelle de Versailles  
et de la Chapelle de Seaux

Qu'on peigne mille objets dans un mesme Tableau,  
Que de l'ombre et du jour la sçavante imposture  
Fasse approcher de nous ou fuir une figure,  
Et rassemble en un point le Ciel, la Terre et l'Eau,  
Le Brun porte plus loin le pouvoir du Pinceau,  
Sçavans, ne dites plus, qu'imiter la Nature  
Est le dernier effort de la docte Peinture:  
Plus d'honneur attendoit cet Apelle nouveau.  
Il decouvre le coeur; il rend l'ame visible,  
De la Divinité fait un Estre sensible;  
Represente la grace, à la gloire il atteint.  
Ce que l'oeil ne peut voir son adresse l'exprime.  
Comme Paul il s'eleve au Ciel le plus sublime:  
Il void ce qu'il y vit; il fait plus, il le Peint.<sup>1596</sup>

Inter innumeram autem operum ejus pro Rege elaboratorum copiam haud postremae sunt Tabulae illae majores coloribus oleariis expictae pro tapetibus Regiis, qui etiam juxta has ideas confecti inque privato Regis cubiculo expansi spectantur. Hic Alexandri illius Magni gesto tanto ingenio exhibita sunt tantaque rerum antiquarum peritia juxta illorum temporum, nationumque ritus oculis exposita, ut ipsis negotiis inmisceri se putet spectator. Nunc enim bellicas acies, nunc proelia ipsa tam pedestria quam equestria mediasque inter turmas immania Elephantorum ad belli usum assuefactorum monstra, miratur; nunc fugientium timore, nunc vincentium ferocitate terretur, cum caedendi, jugulandi, diripiendi, captivandi, nullus sit terminus. Alibi per flumina natantes videt exercitus integros, alibi irruptiones inopinatas, tandemque Darium ipsum proelio victum et alio in loco matrem ejus uxoremque cum virginum coetu pulcherrimarum ab Alexandro summa receptas benevolentia; alibi triumphum Alexandri in Urbe Babyloniorum pomposissimum et similia e ductibus penicilli jucundius cognoscere potest, quam calamus Plutarchi haec omnia descripsit.

Sunt autem Tabulae quinque, quas omnes solertissimus hic noster Artifex ad Fontes bellarum aquarum plerumque ipsomet Rege inspectante multa elaboravit cura, ut viventium molem omnes superent, prout eadem a Gerhardo Edelinkio et Gir. Audram in plagulis mediani generis majoribus typis aeneis expressae sunt, eo quidem Argumento, quod nunc suo ordine describemus.<sup>1597</sup>

Ex quibus omnibus luculentissime patet, latius sese extendere Diagraphices elegantioris et perfectioris picturae potentiam, quam plurimi opinarentur, unde Artifex hic noster inter summos merito nummerandus venit, cum lumen in variis opera ejus sequacibus accendant, quae alias lethaeis immersa mansissent umbris. Quamvis autem recentiora hujus Nostri opera, nec non Effigiem ejus magno hactenus sollicitaverunt studio, ante impressionem tamen istius Voluminis nostri adhuc ad me transmissum est, unde si quod ulterius istorum assecutus fuero, per modum Appendicis id Lectori Benevolo sum communicaturus.<sup>1598</sup>

XIII. \*Campanus<sup>1599</sup> [Champagne]. Inter peritissimos similiter est Gallos, quorum opera et vitas cum Parisiis adhuc expectem et forte Appendicis loco annexurus sim. Hinc de isto



haec paucula nunc saltem refero, quod picturis Iconum, Historiarum, quin et subdialium magnopere sit celebris. Utque vel unicum laudum ejus commemorem exemplum, ad imaginem S. Augustini provoco, quam deinde Poullius typis aeneis publici juris fecit,<sup>1600</sup> quem inspiratione quasi divina abreptum interque studia scribentem tanta exhibuit perfectione, ut hoc unicum dilatandae gloriae ejus abunde sufficiat.

XIV. \*Mignardus.<sup>1601</sup> Quoque silentio minime est praetereundus, cujus excellentia historiis sese pandit majoribus, nec non Iconibus Virorum Summorum; imo ipsissima totius Artis universalitate, quibus omnibus celebritati ejus latissimus adhuc patet campus.

XV. \*Molanus<sup>1602</sup> [van der Meulen]. Belga quidem natione est, sed Parisiis tamen domicilium sibi elegit, ubi mira penicilli promptitudine et elegantia subdialibus potissimum proeliisque minori forma expingendis praeter modum inclaruit. Unde omnia quoque Regis gesta in Belgio, sive proelia sint, sive obsidiones urbium, sive Victoriae qualescunque aliae summa arte depinxit, quorum causa in magno nunc versatur honore. Similiter apographa etiam, minori forma pro pinacophylacio Regio elaboravit quinque illarum Tabularum majorum Brunii de gestis Alexandris M., quas supra descripsimus, idque tanta gratia, sive quoad diagraphica, sive quoad colores, ut hisce similibusque operibus aliis, tantus artifex suo merito extollatur gloria.

#### AUS DEM 27. CAPITEL: SEDECIM NATIONIS GALLICAE CHALGOGRAPHI

XI. \*Antonius Massonius. Eadem in Urbe eandem caelandi aeris Artem professus omnibus hisce in effigurandis iconibus superior erat, quas varia edebat quantitate. Inter quas extant Effigies Regis Galliae, Reginae Dominique Colberti insigni magnitudine; deinde iconem quoque Domini Harcourii Campiductoris in armatura sua, forma maxima et imagine dimidiata, Typis aeneis publici juris faciebat, ubi in omnibus et singulis partibus tantam observavit naturae similitudinem, ut penicillo nihil perfectius et elegantius exprimi posset. Unde lumen haud immerito in arte hac vocari potest.<sup>1603</sup> Ubi obiter id adjicimus, effigiei huic Harcurianae sequentes adscriptos esse versiculos:

L'honneur, qu'il s'est acquis, est sy grand et sy juste,  
Et l'on aura pour luy tant d'estime et d'Amour,  
Que comme les grand Roys prenent le Nom d'Auguste,  
Les plus fameux Heros prendront celuy d'Harcour.<sup>1604</sup>

Eadem artis perfectione hic noster Massonius iconem quoque Ludovici Ducis Vendosmiani aere caelato exhibuit, una cum pluribus aliis, e quibus omnibus insignia felicitatis ejus dona gloriosissime elucescunt.

Hic autem Massonius in juventute sua ad artem Cataphractariam applicitus fuerat inque officinis hisce bracteariis armaturas elaboraverat haud paucas. Porro etiam ad chalybis caelaturam accedens, typos pro excudendis numismatibus incidere solitus erat, donec tandem ad artem Chalcographicam sese conferret, in qua praeter specimina alia laudatissima effigiem quoque exhibuit Petri du Puis Monseortensis, Pictoris Regii Academici artificiosissimi,<sup>1605</sup> in qua omnes consummatae artis notae magna cum laude cumulatae reperiuntur.

Nec sicco praetereundum est pede opus ejus aliud omni encomio sublimius, quod juxta Prototypon Titiani, cujus cineribus aeterna debetur reverentia, viventium magnitudine expictum, aere hic publicavit. Ipsa autem tabula pro pinacotheca primitus Mantuana confecta, dehinc anno 1628 cum oto illo technophylacio Carolo Magnae Britanniae Regi vendita fuerat, ubi Ego ipse eandem conspexi summo honore elatam, donec tandem distractis sub Cronweli regimine omnibus hisce rarioribus, in Galliam pro Musaeo Regio transferretur, ubi adhuc existit:<sup>1606</sup> Christum nimirum exhibens, in coena Emmauntina sub fractione Panis a discipulis agnitum. Ubi faciem Salvatoris videas gloriosissimis Majestatis oriturae radiis emicantem et pulchritudine simul plus quam humana conspicuam, discipulos autem stupore quasi attonitos et modesto simul pudore suffusos. Quae omnia tanta caeli argutia expressit Massonius, ut quoad diagraphicem in omnibus assequeretur autorem, quoad rotundas artuum eminentias lucisque (tam primariae quam reflexae) et umbrarum conciliationes, omnes observaret



minutias, imo vel specificas omnium objectorum proprietates tam exacte referret, ut veram jurares carnem, capillos, linteamina, vestes, et in ipsa mappa modulos deprehendas textorios inque tapetibus quasi colores discernas, nec oculos facile ab obtutu tot unius operis miraculorum queas divellere. Ista autem, ut vere et citra omnem assentandi fucum dicere valeam, Nobilissimus Dominus Carolus praestitit, qui rarissimum hoc opus chalcographicum e technophylacio suo celebratissimo in hunc finem mihi exhibuit, ut debito illius hoc loco fieri posset mentio.

[\*Petrus du Puis, Monfeortensis, Pictor Regius Academicus.<sup>1607</sup>] Ipse autem Petrus Puteanus, de cujus Effigie supra iniecimus mentionem, inter Pictorum antesignanos locum procul dubio haud infimum obtinet, cum alias tam singulari Artificis nostri cura in publicum minime fuisset productus. Quamvis autem exactiorem de ipso notitiam hactenus nondum sim adeptus. Inter coeteros tamen, quorum historiam Parisiis adhuc expecto, Appendicis loco a me pro merito similiter commemorabitur.

XVII. \*Edelinkius,<sup>1608</sup> Chalcographus Parisiensis. Suum pariter inter Artificum consummatorum seriem optime meretur locum, testantibus non omnibus tantum Artis peritis, sed ipsis ejusdem operibus. Ut enim unicum hic tantum allegem exemplum, e supra jam commemorata Brunii pictura, cujus partem iste duobus foliis forma regia majoribus in aere exhibuit, de Alexandro scilicet Darii matrem atque uxorem in tentorio clementissime excipiente,<sup>1609</sup> hic sane non in imaginibus tantum, sed et vestibus, subdialibusque omnibusque requisitis aliis omnia praestitit quaecunque hac Arte ullatenus praestari queunt. Et sic omnia quoque ipsius opera alia eadem gaudent perfectione.

XVIII. \*Audranus.<sup>1610</sup> Claudii supradicti filius, patre suo longe excellentior, prout opera ejus testantur plurima. Prae coeteris autem historiae quaedam Brunianae typis aeneis ab hoc expressae, de Alexandro scilicet superato Granico flumine. Darium vincente cum insigni Persarum copia. De pugna ad Arbelam, qua prostrata omni Persarum potentia, arbitrio totius Orientis potitus est Alexander. De triumphante illius in Urbini Babyloniorum introitu. De Victoria ejusdem adversus Porum, Indorum Regem.<sup>1611</sup> In quibus tanta latet omnium ductuum perfectio, ut nec caelo nec undis vires supersint ulteriores.

XIX. \*Lombardus.<sup>1612</sup> Historiis similiter inclaruit pluribus nec non iconibus juxta Antonii Dickii modum elaboratis. Cum autem paucula saltem de eo mihi suppetant, spe saltem ducor, me ad majorem de eo notitiam perventurum, quam suo tempore lubentissime pariter communicabo. Sic et

XX. \*Simon.<sup>1613</sup> In magna est apud Gallos celebritate ob effigies potissimum praestantissimas, inter quas et Regis ipsius est viventis quantitate caelata, aliorumque Magnatum aliae, quae nullis laudibus satis depraedicari querunt.

XXI. \*Franciscus Schaveau,<sup>1614</sup> autem agmen hic claudat, quamvis ultra nominis mentionem quod ob Chalcographiam tam caelatoriam quam rosoriam satis est gloriosum, plura de eo referre nequeam. Et sic quoque de aliis, quorum exactiore notitia adhuc careo; unde si quidam forte, sua laude similiter dignissimi, a me hic fuerint neglecti, excusationem facile merebor, quam et expeto.

#### AUS DEM 28. CAPITEL: „OMISSA“

LV. \*Gerhardus de Lairese.<sup>1615</sup> Patriam habet Leodium, qua Urbe plurimi exorti sunt tam in Pictura, quam in Sculptura et Architectura Artifices, nempe Lambertus Suavius, Praeceptor Francisci Floris, Theodorus et Israël de Bry, Michaël Natalis, Bartoletus et tandem Regnerus Lairesius, pictor haud infimi ordinis, Gerhardi nostri Pater: qui filium hunc suum ad studia primum, et inprimis ad Poësin atque Musicam, deinde ad Diagraphicam et Pictoriam applicuit; qui etiam, quod non tantum paterna uteretur manuductione, sed insignia etiam in Altaribus quorundam Coenobiorum Vallis nimirum Benedictae, S. Ursulae, Angelorum etc. ante oculos haberet exempla, miros statim faciebat progressus, ita ut vix quatuor decim vel quindecim annos natus jam Bartoletum sibi imitandum proponeret; quem in finem Autores quoque pervolvebat optimos, noctuque et interdiu hisce studiis



invigilabat. Hinc in Iconicis statim picturis specimina edebat singularia, inter quae Effigies Reverendissimi Abbatis ad S. Honorium, Natalis, et alia partim apud Cancellarium, partim apud Celium et Rossium, Consules, nec non Baronissam Lindanam ejusque Amitam similesque extantia: quibus laudem sibi comparabat maximam nummosque colligebat haud paucos.

Interea instituto ad Serenissimum Electorem Coloniensium itinere, Aquisgrani in transitu pro templo S. Ursulae martyrium istius Virginis pingebat viventis quantitate, cum invidia omnium illius loci Pictorum incredibili, cum juvenis tantum esset viginti annorum. Unde Patriam repetens picturis variis pecuniam lucrabatur immensam, quam tamen ubertim iterum profundebat, cum non tantum vestium varios excogitaret modos, et in specie quae utroque latere gestari possent, ita ut unica quandoque die horis antemeridianis Aurorae, pomeridianis coelestino colore superbiret, sed limbos quoque sibi pingeret denticulares pro linteaminibus, in tela subtilissima, partim foliorum gyris, partim historiis inusitato luxu decoros, ut nemo idem imitari auderet. Cumque et cantu simul excelleret et fidibus, hinc consortia continuata, Amorumque simul illecebrae sumtus ab ipso exigebant haud exiguos. Interim foeninam amabat, peregrinam quidem parumque honestam, sed forma insignem admodum, cujus retribus adeo illaqueabatur, ut regressum experiretur difficillimum: unde ad evitandos ultiores prostibuli nexus, clam abiens, haud parvo temporis spatio patriam deserebat. Redux tamen in majus adhuc incidebat periculum, quod, mutato in vindictam amore, meretrix cum sorore cultris eum impeteret, jugulumque ipsi vulneraret, majora etiam auso, nisi gladio ab ipso fugata asylum tandem reperisset officinam pharmacopoli cujusdam. Quibus commotus matrimonium tandem inibat cum quadam cognata sua, cum qua dehinc clanculum Amstelodamum discedens, securitati suae prospiciebat: ubi adhuc degit, multoque ab omnibus ob insignem Artis suae praestantiam morumque honestatem, colitur honore.<sup>1616</sup>

Leodii interea non icones tantum confecerat plurimas, sed inter alia Tabulam quandam ad S. Ursulam, de Poenitentia S. Augustini, deque illius Baptismo aliam, viventium magnitudine ambas, multa arte notabiles.

Cum autem eodem tempore non tantum ob gestum cum Anglis bellum, sed et ob pestiferum contagii virus Artium favor nimium quantum tepesceret, et ipse Ultrajecti in transitu non morbo solum corripere contagioso, sed uxoris quoque impetiretur puerperio, interea autem peregrinis hisce in oris, nec linguae commercio commode uti posset, adeoque haud parva premeretur necessitatis extremitate: Artis tamen, et Dei, mox iterum emergebat auxilio. Quamprimum enim vires paululum recollegisset, pictam quandam a sese tabulam loco illo exponere publico, ubi picturae venales conspici solent. Quae cum ab omnibus mire probaretur, tertia mox abhinc die emtorem reperiebat Dominum Hooftium Amstelodamensem, quo commendante paulo post Amstelodamum vocabatur, ubi adhuc continuatis Artis hujus occupatur exercitiis; cum opera ejus ab omnibus expetantur Magnatibus, et in specie a Serenissimo Electore Brandenburgico, nec non Coloniensi, Principe item Auriaco et omnibus Graphicophilis Batavis. In specie autem tabula quaedam illius de Heliodoro thesaurum templi Hierosolymitani abrepturo multis argutiis referta, apud Dn. Petrum Honton Amstelodami extat. Duas deinde pinxit de Cleopatra et Marco Antonio historicas in Angliam transmissas. Item Ulyssis et Calypsus fabulam, quae apud Dn. Kerkringium asservatur. Extat et historia illius de Stratonica, nec non opus quadraginta pedes longum de triumpho Pauli Aemilii,<sup>1617</sup> quod apud Dn. Pancratium Consulem conspicitur, typis aeneis vulgandum. Deinde viventium magnitudine multa pingebat, sculpturis e marmore candido operis anaglyphici semipleni, quae cum admiratione spectantium adhuc apud Dn. F. Deflinium existunt, cum pluribus tabulis aliis, quales et frater illius Dn. Gisbertus Deflinius possidet. Praeterea pro Serenissimo Principe Auriaco Soudiki<sup>1618</sup> Oecum exornavit majorem, expicto toto fornice admirando ornamentorum genere. Sic Amstelodami quoque novum picturis Theatrum condecoravit. Adhuc alia illius tabula mortem Germanici exhibet, qui filius erat Tiberii, quam apud Dn. Cristophorum Swollanum Postarum Magistrum spectare licet.

In vita civili comis est Musicesque fautor, cui hebdomadatim unum tribuit diem, hybernas autem noctes inventionibus insumit historicis, aere dehinc eroso exhibendis, quo in genere elegantissima utitur methodo, quae laude speciali minime indiget, cum ipsa per se opera



in omni parte sua perfectionem spirent, praxinque simul et theoriam plenariam, praesertim quoad Antiquitatis peritiam, Architecturae culturam, subdialium elegantiam, Scenographiae symmetriam, ornamentorumque plenitudinem prae se ferant.

Typi ipsius aenei argumentis prodire variis: inter quae Iosephus a fratribus agnitus in folio, Salomon unctus in folio. Timor Domini a Minerva seu Virtute contra invidiam defensus, adjecto hoc Lemmate: Una et Eadem. Devotio necessitate promota, adjectis his verbis: Ubi necessitas speranda Benignitas. Endymion a Diana ad Lunae lumen visitatus. Immoderatum Dulce-Amarum. Liquor Bacchi. Silenus dormiens, cum Lemmate: Vinum cautis innocuum. Sapientia Unigentia Dei Maximi. Beata Teresia. Parcere subjectis et debellare superbos. Venus Aeneam ardenti nunc Troja, e somno exsuscitans. Batavia a Wilhelmo Principe Auriaco liberata. Hercules Harpyas, Hydramque ex horto Batavo expellens; eadem magnitudine omnes. Bacchanalia majori forma. Sophonisbe. Semiramis Leonum venatione insistens. Argumentum istius dicti: Quem Mars nunquam, vicit Venus. Mars a Mercurio admonitus, ut Venerem caveat. Venus Aeneae arma nova offerens. Quatuor anni tempora. Cum pluribus minoribus aliis ex Ovidio, Virgilio, aliisque adinventis.

Tanto igitur Artifici iconem propriam tabula nostra 7 dicere praesumsimus, pro merita laudum illius immarcescibilem coronide. [Seite 319.]

LVI. \*Galilaeus Galilaei.<sup>1619</sup> Galilaeus Galilaeus (Jano Nicio Erithraeo teste) Florentiae nobili ac vetere prosapia, clarissimum solis jubar adiit, atque umbris similes in eo maculas deprehendit; latos in Luna campos et colles et valles inspexit, novas etiam in aethereis siderum orbibus stellas invenit, quas Mediceas, ex Principum suorum cognomine, appellavit. Cum olim Patavio, ubi octingentorum aureorum stipendio mathematicas disciplinas juventuti tradebat, venisset Venetias, admonitus est a quodam patricii ordinis viro, in Germania inventum esse oculare, quod res quantumvis remotissimas ea, qua essent magnitudine, aspicienti subjiceret; ille, simul ac domum se recepit, fistulae plumbeae, ex organo destractae, vitreos varii generis orbes ad certum intervallum accommodavit; unde eventum sibi ex sententia processisse cognoscens, ejus ocularis periculum in turri campanaria S. Marci fecit. Hinc notum erat omnibus, ocularis a se inventi ope, novas in coelo stellas orbesque omnibus ante seculis, obstructas ac reconditas, esse detectas; quare et elegantissimus ille Nuncii Siderei titulo inscriptus ab eo liber exierat. Hac fama compulsus Magnus Etruriae Dux accersivit eum Pisas, ut mathematicarum artium Doctoris nomine, centenos singulis mensibus nummos argenteos magnos, quos laminas vocant, acciperet, alterum vero artis suae vicarium sibi substitueret. Quaproptere nullius rei egens, complures pertinentes ad Mathematicam libros composuit et in his Dialogum de Systemate mundi, in quo praeclaram suam de terrae, circa coeli orbes, nullo agitato motu, conversione sententiam aperuit; quamvis postea Romam evocatus, a Quaesitoribus fidei palinodiam canere coactus sit. Quatuor ferme et octuaginta complevit annos, quorum postremos, luminibus orbatus, in tenebris vixit. Obiit in villa agri Florentini, cujus fines ne excederet, Quaesitorum fidei sententia cautum fuit. Part. I. Pinacothecae imaginum illustrium, num. CLIII. — Magni igitur Viri illius memoria me admonet, quam familiariter ac benigne hoc ipso Romae, cum Inquisitionis negotio inibi vacaret, usus sim, in Palatio Mediceo, quod omnis antiquitatis verum armamentarium et rarissimarum verum singulare theatrum tunc erat.<sup>1620</sup> Hic enim Opticae simul ac Geometriae studiis summopere oblectatus, ab illustri doctore ac magistro ea didici, quae universus orbis splendide mecum ignorabat; Quid multa? per tubum, in cubiculo suo ad Lunem haud difficulter directum, montes et valles, et sylvas, et regiones, et lucem et umbram, et omnia ad oculum ostendit. Hic mihi habitus ab Eo honor, ut imaginem Ipsius debitis vicissim honoribus colerem, stimulator et concitator fuit. [Seite 319.]

LVII. \*Johannes Henricus Roosius.<sup>1621</sup> Oterbergi in Palatinatu inferiore natus est anno 1631 ipso Michaëlis festo, Patre Tectoria Artis opifice; unde ob tumultus bellicos fugatis parentibus et post trienne in Urbe Cliviae, cui Vesalia inferior nomen est, exilium anno 1640 Amstelodamum delatis, ad Pictoriam hic tandem anno 1647 applicatus est, sub informatione Juliane du Gardeyn<sup>1622</sup> pictore historiarum satis claro; a quo transactis tyrocinii annis ad Cornelium de Bey<sup>1623</sup> pictorem subdialium judiciosissimum concessit, ubi in picturis campestribus adeo profecit, ut nunc, ceu Rosa in Viridario Artis nostrae multo cum



splendore floreat, picturaeque ejus in pinacothecis Caesareis, Regiis, Ducalibus, aliorumque Graphicophilorum magni aestimentur. Varia enim subdialibus suis inserere solet animalia, quasi vivida, ut integros quandoque Boum, ovium, Equorum, Caprarumque greges, utroque sexu notabiles uno in campo exhibeat, quem tuguriis simul ruralibus, Ruinis, arboribus, montibus, cataractis, nec non pro re nata figuris quoque humanis tam argute exornat, ut incomparabilem dicere queas, cujus egregium nupere adhuc edidit exemplum in magna quadam tabula, Domino Johanni Fragneau nostrati Graphicophilo maximo transmissa, in qua omnes argutiarum subdialium characteres cum admiratione cumulatae spectantur.

Adde quod et iconibus clareat, et Effigiem Electoris Moguntini defuncti viventis magnitudine ad genua usque cum laude confecerit, pro quo labore ultra proemium torque etiam donatus est aureo, numismate mnemonico insignito, qualia munera ab aliis quoque Principibus aliquoties accepit. Subdialia tamen primarium ipsius sunt talentum; quae etiam Francofurto ad Moenum, ubi nunc larem habet, frequenter in Angliam, Galliam atque Italiam transferuntur: ut Effigies ejus inter alios artifices nostro Tabula operis nostri 7 locum merito invenerit. [Seite 319.]

LVIII. \*Theodorus Roosius.<sup>1624</sup> Praememorato fratre septennio minor natusque Vesaliae, quae inferior dicitur, anno 1638 mense Septembri, a teneris quasi sua sponte ad Diagraphicem tractus est, unde anno aetatis duodecimo in informationem traditus est Cornelio de Bey, qui eundem, quod delineandi exercitia jam satis tractasset, tertio statim mense ad colores admisit, quos tanto etiam ferre tractavit, ut absoluto altero tyrocini anno cum parentibus anno 1653 in patriam remeare potuerit. Ubi cum manucente fratre ad ulteriora progressus esset, Moguntiae primum in societate fratris pro coenobio quodam nonnulla elaboravit, deinde a Serenissimo Principe Ernesto Landgravio Hassiae vocati Rheinfelsiae per triennium substiterunt, exercitiis pictoriis magis semper magisque invigilantes, vitaeque aulicae a proposito suo minime abstracti. Cum autem an. 1657 frater natu major in urbe Sancti Goari matrimonium iniisset, hic noster sequenti anno Mannheimium abiit, ubi Tribunus civicos trium cohortum pedestrium egregia inventione in tabula exhibuit, quae ibidem in Curia adhuc spectatur. Istoque labore tantopere delectatus est Serenissimus Elector Palatinus, ut viginti Imperialibus pictorem donaret: hoc munere usque adeo excitatum, ut sepositis omnibus juvenilis aetatis vanitatibus, artem suam summa cum laude excoleret, et in iconicis potissimum ad fastigium properaret. Argentoratum igitur concedens, ubi adhuc habitat, Academiam instituit Diagraphicam, cujus beneficio docendo semper factus perfectior, per vicinas statim innotuit Aulas, Veldentianam scilicet, Birckenfeldiana, Badensi, Hanoviana, Leiniagense, Nassovica etc., ubi absolutis feliciter picturis iconicis variis, ultra proemia ordinaria muneribus quoque plerumque donatus est singularibus. Quo successu etiam Principissae Electoratis Palatinae elaboravit effigiem, cum Duci nuberet Aurelianensi, muneratusque similita fuit Effigie Electorali aurea. Nuper autem cum per septem menses in Aula Wirtembergica Stutgardiana octo pinxisset icones viventium quantitate, praeter mercedem et munera specialia, titulo quoque honoratus est Pictoris Wirtembergici Aulici. Cumque et durante bello Gallico a variis Praefectis militaribus utriusque Exercitus ad pingendas passim Effigies evocatus esset, hinc facta nuper Argentoratensium deditione, ingressisque in Urbem Gallis,<sup>1625</sup> prae coeteris civibus immunitate confestim donatus est tam hospitiorum, quam aliorum onerum. Revera enim, quamvis ipse sit modestissimus, laudes ejus paucis absolvi haud possunt lineis; cum non tantum in diagraphicis fundamento nitatur solido, sed et colores adhibeat omnino naturales vereque stabiles, gratiaque polleat singulari, et similitudine ad ipsam accedat vitam. Unde effigiem ejus tabulae nostrae 7 inserere nulli dubitavimus. [Seite 319.]

LIX. \*Athanasius Kircherus.<sup>1626</sup> Athanasius Kircher S. J. natione Germanus, patria Fuldensis, Philosophiae Moralis, Matheseos, Linguarum Hebraeae et Syrae in Academia Herbipolensi Professor; inde per tempestatem a Suecis concitatam ejectus, in Galliam concessit, et Avenione easdem facultates explicuit. Deinde totus Romae in communem utilitatem intentus, in Aegyptiacam, et coeteras Orientales linguas, in lucem proferendas incubuit. Erat, ut ipse de se scribit, vera artium et scientiarum simia; et nunc geometram egit, modo geographum, jam mechanicum et nautam, saepe magum et astronomum, subinde philosophum et medicum, imo theologum. Edidit Artem Magnesium, Horologiam novam specu-



larem, Prodrorum Coptum sive Aegyptiacum, Thesaurum linguae Coptae, Speculam Melitensem Encyclicam, Oedipum Aegyptiacum, Opus de Combinatoria arte, Obeliscum Pamphylium, Oedipum, Mundum Subterraneum, Chinam, Musurgiam, Archetypon Principis Christiani, et plura alia, quae recenset Phil. Alegambe in Bibliotheca Scriptorum S. J. fol. 48 et 49. Fatis concessit anno 1680 sub finem Novembris. Multae industriae et magni laboris vir ille tantum evigilavit in studio mathematico, ut maximo ingenio (quod in Illo summum erat) gratia omnino habenda videatur. Hoc, inquam duce, thermas Diocletiani, face praevia, sed adverso lemorum spiritu extincta, tandem ingressus sum; ut ex ipsis rudibus prisca regiae hujus architecturae fundamenta diligenter inspicerem, et animo partes omnes perlustrarem. Quapropter Illius effigiem simulacrumque Tab. 7 servare, grato ac familiari homine haud indignum fore existimavi. [Seite 319.]

LXIII.<sup>1627</sup> \*Nicolaus Regnierus,<sup>1628</sup> Mabusaeus. Facto apud Abrahamum Jansonium initio Antverpiae artem pictoriam didicit. Positis autem fundamentis in Italiam sese contulit ibidunque primo methodum sectatus est Bartholomaei Manfredi, cumque exinde Romae laudes sibi acquisiverit non contemnendas, famosissimus ille Virtutis amator Marchio Vincentinus Justiniani pro Domestico recepit, ubi imagines dimidiatas, cum variis iocantium conventiculis ut et Historias sacras et profanas juxta viva exemplaria elaboravit. Venetiis tandem Larem fixit, ubi in picturis Iconicis excellens animam efflavit. Vir fuit magnae civilitatis et integritatis vitae, qui inter alia memorabilia Venetiis in templo Tolentinorum Sancti Caetani et in templo S. Lucae, S. Ludovici Galliarum Regis, nec non S. Margaritae et S. Ceciliae effigies, cum aliis hinc inde laudatissimis operibus reliquit.

LXIV. \*David Loggan Londinensis, Chalcographus.<sup>1629</sup> Patria Gedanensis, patrem Scoto-Britannum habuit; Gedani celeberrimo artis sculptoriae magistro Wilh. Hundio per integrum quadriennium feliciter usus est. Hoc ipso vita excedente iter ad Amstelodamum direxit, ut studium suum perpoliret atque conficeret; ab haud inglorio artifice Crispino de Pas tam diu eruditus, donec itinerum suorum ratione habita, (cum anni septem interfluxissent) sese in regnum Angliae trajiceret, iter in Galliam simul ac Italiam facere instituens. Sed ita Dei fatum ordinavit, ut Londini statio sua tunc placeret et primitus Cromwelli Protectoris imagine in summam statim gloriam veniret. Postquam vero annus pestilens erat urbi, in agros evasit, dein Oxonium concessit suisque sumtibus cuncta inibi Musarum palatia aere incidit; ab Illustri hac Academia, omnium artium matre et scientiarum Regina, honorarium quotannis stipendium accepit Londinumque repetiit, quanquam Chalcographus Academiae ejusdem ordinarius, cujus laudes opus quoddam ebuccinat, quod ab ipso Oxonia illustrata vocatur, quadraginta quatuor plagulis editum typisque aeneis praefigurans Topographiam duplicem totius tractus atque Urbis, una cum istius ichnographia; deinde Frontispicium Academiae proprie dictae, cum omnibus illius Auditoriis, porro Bibliothecam publicam; Theatrum novum Sheltonianum (ob conventus Academicos et Typographiam incomparabilem celebratissimum) vestitum Academicum; Templum Urbanum ad D. Virginem; Hortum Medicum; Collegium Universitatis commune; nec non Collegia sequentia, Balliolense, Mertonense, Exoniense, Oriense, Reginense, Novum, B. Mariae de Winton, Lincolnense, Omnium Animarum, B. Mariae Magdalенаe, Aenei Nasi, Corporis Christi, Aedis Christi, S. S. Trinitatis, Johannis Baptistae, Jesu, Wadhamense, Pembrodianum, S. Albani. Porro et Aulas quasdam paulo minores, ut sunt Cervina, S. Edmundi, B. Mariae Virginis, B. Mariae Magdalенаe et Glocestrensis, una cum Hospitio novo. In quibus omnibus non symmetria tantum cum omnibus solidioris Architecturae regulis, sed elegantia quoque sculpturae tam rara elucescit, ut simile quid oculis usurpasse vix meminerim. Quod amussitatum ac consummatissimum opus cum Magnae Britanniae Regi, Domino suo Clementissimo, nuncupasset, magnam quoque gratiam, majorem tamen animum induit, ut Regiae etiam Academiae (sic enim Cantabrigiensis jure ac merito suo vocatur) Collegia et Aulas caela suo in aere efficeret: Tres partes illius absolutae jam sunt, quibus summam manum mox adjiciet. Denique illustrium familiarumque Virorum capita et summa pectoris, velut alter Apelles, politissima arte perficit; nec colorum varietate, sed cerussae (quam falsum plumbum appellant vulgo) simplicitate humanas species celerrime effingit: Unicum illud documentum, quod novissime Urbi Norinbergae dedit, artis hujus cultores, admiratione obstupefacti, more adorantium, omnes venerantur!



LXV. \*Janus Lutma,<sup>1630</sup> Amstelodamensis. Argyropoeus fuit artificiosissimus, Pauli Vianensis discipulus, in anaglyphicis semiplenis argenteis admirabilis, qui anno aetatis 85 obiit. Ejusdem autem filius etiam vocabatur.

LXVI. \*Janus Lutma,<sup>1631</sup> Qui non tantum paternam artem examussum excoluerat sed novum genus Chalcographicum adinvenit, quod opus mallei vocavit. Quemadmodum enim Chalcographia caelo acuto sulcos e cupro eruit, sic isto in genere laminae aeneae imponitur cestrum, quod malleolo pecutitur, typumque aeri imprimit, qui in charta non aliter apparet, quam sculptura ordinaria, sed multo mitior atque gratior. Istoque genere hic noster viventis quasi magnitudine exhibuit Effigiem Oratoris illius celeberrimi P. C. Hoofdii Amstelodamensis, cum hac subscriptione: Alter Tacitus. Opus mallei per Janum Lutma. Eodemque modo etiam elaboravit Effigiem Clarissimi J. Vondelii, adjectis Apollinis lyra, cygnoque cantante, et hoc lemme: Olor Batavus. Tertio Patris sui quoque iconem sic edidit cum nomine: Janus Lutma. Et tandem Effigiem similiter propriam, cum hac inscriptione: Janus Lutma Batavus, per se, opere mallei, 1681. Quae omnia tantum prae se ferunt ingenii acumen manusque promptitudinem, ut vix sufficiat, si Antecessores praecellere dicatur omnes.

LXVII. \*Jacobus Denysius,<sup>1632</sup> Natus est Antverpiae an. 1645 discipulusque fuit celeberrimi illius Erasmi Quellini. Post tyrocinia sua instituto in Italiam itinere miros inibi faciebat progressus, ut revera in arte sua prae multis excelleret. Venetiis apographa plurimarum faciebat tabularum Pauli Veronensis, Tintoreti, Titiani et aliorum, progressusque Romam per integrum triennium non diagraphices saltem exercitia juxta Statuas antiquas continuabat, sed et Raphaëlis opera longe inter modernos celeberrima in apographa reducebat, multaque imitabatur industria.

Dehinc Napoli quoque aliquandiu degebat, Romamque primo reversus, mox Bononiam petebat, ubi iterum pulcherrima Guidonis Rheni transsumebat opera, nec non Caracii et Dominichini, prout et Parmae Corregianas et Mantuae Julii Romani tabulas in usum suum transferebat; ubi et ad ministeria Serenissimae Archiducissae Mantuanae pictoria admittebatur missusque ab hac ad Magnum Florentiae Ducem, icones conficiebat totius illius Serenissimae familiae egregias, muneratus propterea numismate Ducali et torque aureo cum Effigie.

Mantuum porro redux plurimas pingebat historias pro diversis illius Palatii Conclavibus nec non icones et tabulas altarium haud paucas. Transactis autem quatuordecim in Italia annis impetrataque tandem a Serenissima Patrona in patriam redeundi venia cum testimonibus salvoque conductu Antverpiam denique feliciter redibat: ubi iconibus mox tantopere inclarescebat, ut et Effigiem Ducis Parmensis cum laude conficeret et ab hoc Bruxellas invitaretur, ad elaboranda ibidem in Aula Brabantina opera varia, in quibus etiam tanta usus est felicitate, ut gloriam sibi compararet inter omnes hujus seculi Graphicophilos maximam. Iconem ejus Tab. 8 repraesentat. [Seite 329.]

LXVIII. \*Gabriel Grupello,<sup>1633</sup> De prosapia quadam Italica Bruxellis natus est et ad statuariam applicitus Praeceptore usus est celeberrimo illo Sculptore Antverpiense Arto Quellino. E cujus Schola dimissus et quidem cum singulari perfectione Parisios abiit, ubi ad opera magni nominis varie adhibebatur, donec tandem Bruxellis sedem sibi eligeret. Hic artem jam exercet sculptoriam successu admirando, approbantibus opera ejus ad stuporem usque omnibus spectantibus. Inter haec prae coeteris magnam meretur laudem statua quaedam lapidea, Fidei symbolum prae se ferens, cujus venustate omnes quasi in admirationem rapiuntur. Sic pro Domo Piscatorum statuam quoque sculpsit Neptuni ut et Thetydis,<sup>1634</sup> cum curiosis quibusdam aliis; quae omnia tam sunt consummata, ut opera ejus specimina perfectionis dici soleant. Sic maxima pars templorum pulcherimis illius nitet sculpturis, statuis, effigibus et monumentis sepulchralibus magnificentissimis, e quibus omnibus insignis elucet artis ejus excellentia. Imo tanta est illius peritia, ut unice quasi nunc requiratur solus, unde tam ampla nomini ejus exurgit celebritas, ut perennantes illius laudes cum admiratione propagatura sit omnis posteritas. Iconem ejus tabula nostra 8 exprimit. [Seite 329.]

LXIX. \*Michael Willmannus,<sup>1635</sup> Pictor Libusiensis. Cujus laudes, antequam finem huic operi imponam, fortuna favente, adhuc subnectere licuit. Natus est an. 1630 in



Electoralis Prussiae Metropoli Regiomontana. Patre Petro Willmanno, pictore haud ex infimis. Dumque naturali quadam ad Picturam ferretur inclinatione, a primis statim adolescentiae annis colore tam oleario quam aquario promptissimi edidit ingenii sui specimina, ita ut anno aetatis suae vigesimo omnes fere patriae Artifices longa post se relinqueret intervallo. Cumque ad acquirendam majorem in Arte peritiam in Hollandiam et potissimum Amstelodamum se reciperet, insignia ibidem fervoris sui incrementa persensit non visitatis tantum illius loci Artificibus, sed et perlustratis operibus in eadam Urbe celeberrimis variis. Sic enim repletum est admirandum hoc Europae Emporium omnigena artificiosissimarum Tabularum varietate, ut omnes quasi illius incolae amore Artis nostrae flagrent et quilibet Graphicophili nomine superbire gestiat; quod [i]nnumera quasi opera rarissima in pinacothecis hinc inde extantia satis superque testantur.

Quamvis autem informationi Celeberrimi cujusdam Artificis sese committere minime detrectasset, didactri tamen excessu deterritus mediorumque penuria impeditus, id quod in Praeceptorem expendere cogere, in prototypa impendere statuit. Cumque in Diagraphice jam esset verratissimus, hinc propositis sibi Jacobi Backeri,<sup>1636</sup> ut et Rembrandi aliorumque methodis, privato labore, continuatisque noctu et interdum exercitiis severioribus, victum sibi parare cogebatur, ut Italiam petere hac ratione minime posset. Nec enim Regionem parere Artificem dicebat, nec loca vel itinera longinqua, sed ingenium ipsum atque naturam hominis, a Deo sibi concessam ad Artis propellere culmina legesque dictare quibusvis optimas. In Polonia tamen et Germania quicquid celebriorum operum extabat, visitare minime negligebat, et in specie in Pinacophylacio Caesareo Pragensi mirum in modum proficiebat: donec peractis integro decennio peregrinationibus hisce citerioribus, Libusii tandem, qui locus est Silesiae amoenissimus, firmum poneret pedem ibidemque per opera sua multa arte insignia, sedulitatemque semper ad meliora progressam, famam nominis sui longe lateque disseminaret.

In specie autem pro Serenissimo Electore Brandenburgico magnum quoddam elaborabat opus de Vulcano cum Cyclopibus suis arma Marti et clypeum lanceamque Minervae fabricante, fugientibus interea quam lepidissime scintillarum structuras, ustrinaeque foetorem Venere atque Cupidine, quod opus tam gratum fuit Serenissimo Electori, Artis hujus patrono optimo maximo, ut ad varia alia rariora Artificem hunc adhiberet, multis propterea cumulatum muneribus;<sup>1637</sup> prout et ab aliis sollicitate conquirebantur labores ejus, cum et inventionem polleat, tanquam historiarum et Poëmatum lectioni deditissimus, et penicillo sit promptissimus vitamque et naturalem rerum colorem quam proxime imitetur multoque vigore lumina exprimat et universali quodam pingendi studio praemineat.

Vratislaviae<sup>1638</sup> in conclavi Senatorio duae visuntur tabulae ejus majores, judicium nempe Salomonaicum et judicium Cambysis.<sup>1639</sup> In templo S. Vincentii Ordinis Praemonstratensium omnia ferme Altaria ab ipso expicta sunt. In Templo illius Urbis Elisabethano imago S. Elisabethae et Coena Dominica ejusdem manu similiter elaboratae sunt. In alio quodam templo Salvator noster crucem gestans; Imago S. Apolloniae, et S. Michaëlis, opera ejus quoque sunt. Imo in omnibus fere monasteriis, templis et Palatiis specimina Artis ejus extant insignia admodum. Sic in specie pro Illustrissimo Comite Nostitio, Cancellario Regni Bohemicae, Arcem Noae pictura exhibuit argutissima. In Coenobio Ducali Libusiano, cujus Praesul omnium bonarum Artium merito vocatur promotor, innumera quasi extant illius opera et inter alia singulari cura elaborati sex Dies Creationis.<sup>1640</sup>

Praeterea pro ornamentis Altarium Architectonicis singulari inventionem opera lignea dentis beneficio tam eleganter expolire solet, ut marmor exactissime imitetur, tam nigrum, quam fuscum, aliove colore nitens suisque venis variegatum dexterrime.

Pro majori gloriae suae incremento Artifex iste privignum suum Johannem Christophorum Liccum<sup>1641</sup> tam sedulo in eadem arte instruxit, ut post sexennium peregrinationis suae ex Italia nunc eundem revocaverit magnoque progressu ad majora applicet. Sic et filiam suam Annam Elisabetham Willmanniam, virginem vario virtutum flore decoram, in tenera adhuc aetate sua ad penicillum assuefecit, ut mira jam edat specimina, adeoque magna jam illis in locis efflorescat futurorum progressuum spes. Unde pro debito laudum ejus cumulo Iconem quoque ipsius tabula nostra 9 exprimere voluimus. [Seite 341.]



LXX. \*Leonhardus Heckenauer. Aurifaber est Augustanus,<sup>1642</sup> multa celebritate insignis, gloriamque Patriae suae tot artibus clarae mira cumulans industria, ita ut apud omnes fere Magnates atque Principes specimina quaedam Artis ejus rariora reperiantur.

Hujus filius, Leonhardi quoque nomen habens,<sup>1643</sup> cum a teneris statim unguiculis ad diagraphicem ferretur inque Academia, a me tum temporibus in gratiam studiosae juventutis ibidem erecta, inter primos atque optimos muneretur, ad Chalcographiam sub Bartholomaeo Kiliano sese applicuit; ubi tantopere profecit, ut Italiam atque regiones alias miro progressu visitaret. Finita autem peregrinatione sua in patriam redux connubio ibidem sese firmavit honestissimo operibusque exhinc inclaruit optimis atque plurimis. Inter quae prae coeteris eminent Effigies Electoris Trevirensis, viventis fere magnitudine sculpta, opus variis genuinae Artis Characteribus ditissimum. Sic pro Volumine etiam nostro de Sculptura veteri admiranda idem elaboravit Gladiatorem Currentem, nec non Venerem Victricem et Commodum Imperatorem, item tabulam Iconum 9, in qua sex effigies interque illas Horneri [?] occurrunt: quae omnia laudibus artificis nostri insigne tribuunt incrementum.

LXXI. \*Ferdinandus Neubergerus. Danielis Neubergeri frater, in praecedentibus, cum hujus vitam descripsimus, a nobis jam commemorandus fuit: quod cum tum temporibus casu neglectum sit, jamjam sub finem operis supplendum censuimus. Non minori enim peritia hic clarus fuit, quam praedictus frater ejus in Plastica ceraria excelluit, praesertim si artem colorandi ceras spectemus, duritiemque iis conciliandi, quas deinde in effigendis imaginibus atque historiis tanta tractare potuit dexteritate, ut marmor candidum, Achatem, Onychem, Sardonychem, Jaspidem, Lapidem Lazuli, Rubinum, quin et chalybem ferrumque, nec non aurum vel argentum exacte referent. Praeterea Historias biblicas minores argutissime concinnare solebat, ut anaglypha semiplena vel extantiora, vel plane rotunda exhibent, figuris plerumque copiosis admodum refertae. Sic et Fabulas poëticas et historias profanas et Metamorphoses Ovidianas et similia rariore tanto elaboravit numero, ut multae hic non sufficiant centuriae. In specie autem pro Serenissimo Principe ac Domino Dn. Johanne Friederico Marchione Brandenburgico de familia Onolzbacensi opuscula effinxit plurima artificiosissima, ita ut in Technotheca istius Principis, ceu promotoris omnium liberalium Artium gloriosissimi, rarissimi hujus artificis labores asservati reperiantur: cum non tantum Onolzbaci per multos annos pro isto Principe ceras tractaverit, sed et ultimum ibidem clausuram diem, cumque praeter insignem suam in arte Plastica perfectionem, vitam pariter egerit honestissimam, hinc vidua quoque ejus cum liberis et duobus inprimis filiis illius, Godofredo et Christophoro, virtutum artiumque paternarum aemulis, Ducali ibidem adhuc fruuntur gratia.

LXXII. \*Gulielmus Faithornius,<sup>1644</sup> Londinensis. Chalcographorum Londinensium famigeratissimorum haud postremus, cum laude hic quoque nominandus est, non ob caeli tantum gratiam, sed et ob ingenii dotes insignes. Dolendum tamen, quod ultra nomen famamque vix nobis, quod de illo scribamus, suppetat, cum difficillime obtineantur illius opera, quamvis haud leviter a nobis expetita. Unde haec pauca de illo tetigisse sufficiat.

LXXIII.<sup>1645</sup> \*Lucas Jordanus, Neapolitanus. Nostris temporibus, ut diximus, degit vitam in inclyta Penelope<sup>1646</sup> Josephus Riverius, Nobilis Hispanus, in pingendis juxta naturam Historiis peritissimus. Hic habuit Discipulum Lucam Jordanum Neapolitanum, quippe qui hujus Methodum tam artificiose sequutus est, ut et Excelentissimi ejus pro Riverii operibus agnoverint quam saepissime.<sup>1647</sup> Ex Inventionibus propriis, non Copiis, Imitator aliorum etiam fuit strenuus, de cujus industria et assiduitate haud facile reperietur par exemplum. Spiritus ejus, ut breviter dicamus, innotescit e Tabula magna, quae vocatur absumentio Christi de Cruce,<sup>1648</sup> cum multis aliis apud Nobilissimum Dn. Fontanam a Canal grande Venetiis, Artis Cultorem maximum, visu dignissima. Confecit etiam in Templo salutis ibidem opus, praesentans in Altaris Tabula Matris Christi nativitatem, cum S. Anna Sanctoque Joachimo et aliis circumstantibus, artificiosissimum; ubi non minus in altera Artis tabula, Beatissimae Matris Dei ascensio ad Coelum, adstantibus Apostolis, optime elaborata videtur.<sup>1649</sup>

LXXIV. Carolus Marattus,<sup>1650</sup> Romanus Pictor. Inter modernos Academiae Romanae Cultores jure meritoque adscribendus est Carolus Marattus, Andreae Sacchi Discipulus,



cujus nobile ingenium et experientia magna, in picturis Historicis, oleo aquave, in fresco, ut vocant, elucescit. De quibus et Romae et Venetiis et alibi pulcherrima reperienda sunt exempla, inter quae laudem meretur non ultimam Tabula Altaris in Templo Minervae Romae, de B. Virgine in gloria, cum quinque Sanctis a Clemente X. canonizatis An. MDCLXXI, ubi Dei Matrem in gloria Coeli, associatam multis Angelis Sanctisque, inprimis vero praedictis quinque novis sanctis, laudabiliter elaboravit.<sup>1651</sup> Ejusdemque ingeniositatis Tabulam videbis in Templo S. Crucis Hierosolymitanae Romae, praesentantem in Altari secundo S. Bernhardum, ut et in Templo S. Isidori varia opera; In Templo S. Josephi S. Theresiae effigiem inque Capella del Monsignor Benigni alla Pace Visitationem S. Elisabethae cum multis figuris aliisque requisitis circumstantibus. Methodus ejus est spiritosa, bonae inventionis et vagae, ornata cum gratia et coloribus pulcherrimis, insuper in rotunditate et naturali rerum elevatione insignis, utpote Dona in hujusce modi subiecto laude et commendatione dignissima. Effigiem autem ipsius tabula nostra [9] expressimus. [Seite 341.]

LXXV. \*Tiberius Tinellus,<sup>1652</sup> Pictor et Eques. Venetiis natus anno 1586, Patre Johanne Baptista Tinelli textore panni holoserici, honestaque educatione enutritus, ad Diagraphicem primo applicabatur: ubi a primis statim initiis magni edebat ingenii signa, quae communiter augurium esse solent subsecuturae perfectionis. Praeceptore autem primitus utebatur Johanne Contarino,<sup>1653</sup> qui haud ita pridem e Germania reversus et ab Imperatore in ordinem Equestrem elevatus erat inque arte nostra picturis potissimum Iconicis excellebat. Deinde autem Bassani<sup>1654</sup> insistebat methodo, quam tanta similitudine exprimebat, ut multi picturas ejus pro Bassanianis haberent.

Dehinc etiam historiarum pingendarum amplectabatur studium, in quibus delineationes suas magna cura elaborabat. Prima autem opera ejus sequentia erant: Paradisis multis figuris expictus; Coena Domini nostri cum Discipulis; Salutatio Angelica et similia alia.

Inescatus autem blandissimis Amoris illecebris Paradisiacam sibi imaginabatur vitam, si voti sui compos fieret: unde et connubio sibi jungebat virginem quandam formosam. Ast Zelotypiae mox incendio exustus, nec non in acerrima cum socero et affinibus prolapsus dissidia, nil nisi adversitates in hoc statu reperiebat turbasque atque taedia, ut et studiorum suorum et ingenii culturam quasi omnino negligeret. Praesertim cum ad Patrem regressa uxorcula ejus, negotia ipsi facesseret continua, donec tandem divortio iterum separarentur. Ubi ipse ad Matrem suam sese conferebat, majori in posterum tranquillitate professioni suae vacans, majorique diligentia. Inprimis autem Iconibus pingendis plurimum tribuebat, in quibus magna pollebat peritia, ad consummatam usque perfectionem progressus: cum non tantum similitudine vultuum, sed et elegantiae multum invigilaret, ut a Magnatibus et Graphicophilis sollicitate conquirerentur illius tabulae. Solebat autem historiis plerumque uti ad concinnandos Effigies suas atque sic Davidis Spinelli Philosophi iconem sub forma Marci Antonii et conjugis ejus sub Cleopatrae figura expresserat, quasi nimirum haec Margaritam eidem offerret, in historiis notam, tenente phialam filiolo.

Sic Julium Strozium, Poetam illustrissimum laurea coronatum, nec non Lucam Nellium, Marcum Antonium Benzium, Widmannum Baronem, Johannem Paulum et Ludovicum filium ejus Comites, multa cum laude iconice expresserat. Similiter anno 1633 effigiem Ludovici Rossolini, Legatis Regis Galliarum apud Rempubicam Venetam, et paulo post iconem Ducis Crequii, ceu campiductoris cataphractam, exhibuerat: qui tantopere isto labore delectabatur, ut a Rege suo Ludovico XIII. ordinem S. Michaëlis huic Artifici impetraret; cui hic in grati sui animi testimonium picturam offerebat virginis cujusdam pulcherrimae sub figura Aurorae, flores manu tenentis elegantissimos.

Interea saepius quidem picturas etiam historicas inchoabat; sed paucas absolvebat, cum iconibus nimium interpellaretur, quae tanta tamque sublimia non requirebant studia, ut historiarum argumenta. Aliquando eundem visitabat Laurentius de Medicis, Dux Hetruriae, iconem Foeminae cujusdam Venetae formosissimae nec non Effigiem alterius cujusdam sub figura Vigilantiae ab illius manu sollicitans. Nec modo Icones pingebat quasi innumeras variorum Principum, Comitum, Praelatorum, Nobilium, Equitum et in specie foeminarum plurimarum, florida aetate, vultusque elegantia, oculos fascinantium: quo in genere, ob



singularem quandam inclinationem, mirum in modum excellebat, quamvis et tabulas similes multas relinqueret imperfectas.

Prae coeteris autem summam meretur laudem operum ejus ultimum, Effigies nimirum Aemiliae Papafaciae Borromeae, in cujus laudem multa composita fuere carmina, quae brevitatis causa hoc loco omittimus.

Sic vitam agebat Tinellius noster, Zelotypia plerumque Amorumque turbis misere divexatus et fortuna parum usus propitia; quo in statu sat lamentabili isthoc quidem erigebatur gaudio, quod Regum quidam magno eundem favore prosequeretur, varique Magnates pro laboribus suis omnimodam ipsi protectionem pollicerentur atque benevolentiam, sed ista (eheu!) munera vix ad rem faciunt. Tandem anno aetatis suae quinquagesimo secundo ob supradictos excessus in morbum prolapsus Medicis ignotum paulo post sectam sibi venam animam efflabat, anno aerae Christianae 1638. In aede S. Cantiani honesta tumulatus sepultura. Effigiem ejus Tab. 9 repraesentat. [Seite 341.]

LXXVI. \*Petrus de Vecchia.<sup>1655</sup> Vincentiae natus, Venetiis inclaruit picturis potissimum majoribus figurisque dimidiatis, colore oleario magna satis mole elaboratis et lumine admodum vivo atque corpore extantissimo quasi pronimulis: quo in genere Giorgionum, pictorem quondam clarissimum de Castello Franco, tam proxime imitabatur, ut et inventio et diagraphice et colorum vigor et peniculi ductus plane videretur idem, et vel expertissimi istarum rerum dijudicadores duarum harum arborum fructus saepius confunderent, praesertim quod imitatio haec non apographa referret, sed Prototypon ipsum exprimeret. Qui error mihi ferme ipsi accidisset. Cum anno 1650 Serenissimus tum temporis Princeps Carolus Gustavus, Comes Palatinus Rheni, deinde Rex Sueciae, Norimbergae Tabulam quandam mihi exhiberet, picturam militis continentem, qui prae iracundia pugionem stringere videbatur, quaerens insimul, cujus manu eam censerem pictam, ubi, perpenso diu opere, vix tandem ex aversa parte Tabulae linteum adhuc recens agnoscebam, unde colligere poteram, non ipsum Giorgionem, cujus manum exacte referebat, illius esse Authorem. Sic militem quoque pinxerat juniorem sedentem atque cataphractarum pilamque manu tenentem, qua e Tabula tantum elucebat judicium, ut Serenissimus Princeps Robertus, Comes Palatinus Rheni, militem hunc manu propria melanographice exprimeret, idque tanta cura atque perfectione, ut toti huic arti melanographicae singulare exhinc lumen accederet.<sup>1656</sup> Sic Serenissimus Princeps etiam Leopoldus Wilhelmus, Archidux Austriae, ceu accuratissimus rerum pictarum censor, huic nostro Artifici ob varia illius opera laudem paritar tribuebat eximiam. Genius illius audaculus erat: Unde opera ejus, pro mero lubitu, rariore quodam habitu insignita spectantur, ita ut capitibus Bireta imponeret cristata vestiumque genera, partim ex antiquo, partim e moderno desumeret modo, discisso saepe usus habitu et copioso linteamine, quandoque et tela serica pannisque Attalicis et holosericis, prout opera ejus apud magnum Florentiae Ducem varia, nec non porticus quaedam Vincentinae integrae, et in specie in domo Tebaldina, et alia passim testantur. Sic Venetiis etiam in aede Sancti Marci Tabula quaedam ipsius visitur de Christo, mercatores expellente, nec non Crucifixio salvatoris nostri in monte Calvariae, quod opus multis extollitur encomiis. Unde a Serenissimo quoque Venetorum Republica ad hoc adhibebatur munus, ut delineationes conficeret omnium illorum operum historicorum, quae in templo S. Marci opere Musaico elaborata sunt. Vitam autem Venetiis tandem multo cum dolore omnium graphicophilorum finiebat, ibidemque splendissimis exequiis terrae committebatur.

LXXVII. \*Bartholomaeus Murillius. Natus est Hispali (quae hodie Sevilia est), e nobili quadam familia; cumque a primis statim tenerioris aetatis annis mirum in modum deditus esset deliniationibus, pater ipsius exhinc commotus ad Artem pictoriam eum applicabat. Absolutis ergo sub Praeceptore quodam tyrociniis, cum se in primo adhuc aetatis flore cerneret constitutum, in Indiam Occidentalem iter instituit, ubi artem suam magna continuabat industria, quippe cujus amore totus exardescebat. Cum autem in multis hisce terris parum se proficere in studiis suis animadverteret, Hispalim regredi statuit. Ast quoniam nec inibi Artifices satis inveniret claros, a quibus ad ulteriora promoveri posse judicaret, in Italiam iter fecit,<sup>1657</sup> ubi tantam inveniebat complendi desiderii sui occasionem, tantisque in diagraphica atque pictoria progressibus ad fastigium properabat, ut opera ejus cum stupore ab omnibus spectarentur.



Exactis autem aliquot in Italia annis in Hispaniam revertebatur, ubi a Rege atque Magnatibus Regni ad varia adhibebatur opera. Quin ipsa etiam Aula Romana ipsius penicillo haud raro utebatur, ita ut tabulas pro diversis Cardinalibus complures pulcherrimas expingeret, quae tanti aestimabantur, ut artificem hunc nostrum alterum dicerent Paulum Veronensem. Atque sic tota quasi Hispania repleta est elegantissimis illius tabulis, pro Altaribus aliisque casibus confectis; quales etiam in Belgio conspiciuntur plurimae magnique passim aestimantur.

Coeterum et doctissimus erat in vario studiorum genere, it ut amorem singulorum in se alliceret, cumque fatis fungeretur, universalem quasi in Patria sua relinqueret dolorem. Mortuus autem est mense Augusto anni 1682<sup>1668</sup> et exequiis tum solennissimis honoratus, ita ut feretrum ejus portarent duo Marchiones et quatuor Equites diversorum ordinum, sequente turba quasi innumerabili, exclamantibusque, ereptum esse seculo nostro Virum exemplo atque virtutibus longe clarissimum, quem Deus gloria coronet perpetua. Effigiem ejus Tab. 8 expressimus [Seite 329.]

LXXVIII. \*Petrus Librius.<sup>1659</sup> Patavinus patria, in primo statim annorum vere et ingenio pollebat et industria, ut ad culmina mature aspiraret inque juvenia adhuc operibus quibusdam eleganter expictis famam sibi acquireret. Majorem autem tum acquirebat emergendi occasionem, cum Serenissima Venetorum Respublica magnum illud eidem committeret opus de Victoria Classis suae contra Turcas anno 1656 in freto Hellesponti obtenta sub Nauarcho Laurentio Marcello, quod in magnifico quodam Oeco Venetiis deinde publice erectum est et ibidem adhuc spectatur,<sup>1660</sup> cum infinito fere Artificis encomio.

Super hoc fortunae suae fundamentum posteriores gloriae suae superstruebat gradus operibus sequentibus, quia sunt: Crucifixio Domini in Aede S. Marci, inventione longe pulcherrima elaborata; Imago B. Virginis cum filiolo, S. Josepho, S. Catharina, S. Thoma Aquinate et S. Johanne Baptista in Aede S. Stephani collocata. In Castello Sacrarium integrum historiis plurimis e vita D. Virginis Matris exornatum. In Aede S. Proculi Assumptio D. Virginis pro summo Altari, quod opus est praeclarissimum. In Templo S. Justiniae historia Nativitatis Christi. Porro Imagines quatuor Evangelistarum in quatuor Angulis Templi atque Xenodochii S.S. Johannis et Pauli, nec non tabulae complures in Xenodochio Mendicantium de miraculis S. Philippi Neri, inter quae tabula quaedam, de Anima in coelum elevata, singulariter praeminet, nec non alia ibidem, de Assumptione B. Virginis Deiparae. Porro in templo D. Virginis Carmelitarum Altare de S. Alberto, opus admirandum. Sic magni illi Gigantes in albario recente monochromate depicti in templo S. Jacobi monachorum S. Augustini, itemque in eodem templo S. Trinitas, nec non Altare ibidem, et alia parerga illius Aedis Angelis varie exornata, una cum quatuor Evangelistis. Imo diem terrerem, si omnia, quae illius manu elaborata sunt, inque templis, Palatiis, Scholis, aedibusque privatis Urbis Venetae passim spectantur, prolixè enumerare vellem.

In omnibus autem picturis suis gratiae admodum studet atque lepori, in vita civili praeterea eloquentiae et in domo sua Oeconomiae, quae omnia gloriam ejus mire provehant.

LXXIX. \*Franciscus Ruschius.<sup>1661</sup> Pictor historiarum fuit celeberrimus, qui opera in hac arte reliquisset dicitur longe dignissima, quorum specialem notitiam adhuc expecto atque tunc Benevolo Lectori lubenter sum communicaturus. Hic pro singulari laudum ejus caractere subnexuisse sufficiat, quod Praeceptor fuerit Antonii Zanchii, cujus vitam jam sum descripturus. Hic enim

LXXX. \*Antonius Zanchius<sup>1662</sup> pictor est historiarum megalographicarum Venetiis praestantissimus, tam in oleario pingendi genere, quam quod in albario recente exercetur. Inter opera ejus singularem promerentur laudem Schola S. Rochi, in qua tam Frontispicium exterius, quam interiora varia ab ipso expicta sunt, et in specie opus quoddam pulcherrimum prope Scalam, quod insigni de maxima Artificis perfectione edit testimonium. Sic in Schola S. Hieronymi pictura Samaritani, misericordiam erga vulneratum exercentis, et e regione historia filii Prodigii a Patre in gratiam recepti, eundem agnoscent Autorem. Ejusdem opera etiam sunt sequentia: Altare quoddam in templo S. Lucae de Salutatione Angelica. In Templo S. Juliani istius Sancti martyrium; ubi ex una parte exhibetur illius ad supplicium deductio, sub qua mortuum quendam resuscitat filiumque Tyranni ad



Christianam fidem convertit; ex altera autem istius Sancti decollatio, cum conversione plurium ad veram religionem, quod opus ipsam quasi transcendit laudem. Porro ab ipso quoque pictum est Altare Aedis S. Philippi Neri, item historia de Angelo Castra Sennacheribi devastante, prae coeteris autem contagium Pestiferum, quod anno 1630 Venetiis grassatum est, in Schola S. Rochi elegantissime ab ipso effiguratum visitur. Deinde in Aede Salutis historia Vesperae Passionalis, in Aede D. Virginis Carmelitarum duo miracula lepidissimis inventionibus exornata. Alibi historia Davidis, Caput Goliathi Regi suo exhibentis, item historia Abigailis Davidi occurrentis, nec non historia Diluvii in templo Hieronymi, ipsius debuccinant laudes: praeter recentia illa, quae a Serenissima Republica aliisque privatis eidem jam demum commissa sunt. In quibus omnibus magnum ubique prodit iudicium, inventionum argutiam, colorum robur, vultuum gratiam vitaeque expressionem laudatissimam.

LXXXI. \*Petrus Niger.<sup>1663</sup> In eodem Hadriatici maris Emporio longe celeberrimo celebritatem quoque nominis haud exiguam assecutus est operibus quibusdam laude sua dignissimis, inter quae Altare quoddam imaginem B. Virginis continens cum filiolo et S. Thoma Aquinate. Deinde et imago Matthaei Evangelisti, cum angelo et ornamentis aliis elegantissimis. Prae omnibus autem singulariter excellit magnum quoddam opus in Schola S. Rochi erectum, in quo Protector istius Reipublicae S. Marcus intra nubes apparet coram D. Virgina, quam Chorus Angelorum cingit copiosissimus, accedentibus etiam S. Sebastiano et S. Rocho. Coram his e throno suo demissa apparet Venetorum Respublica, comitentibus eandem quatuor Virtutibus Theologicis et sustentantibus ipsam Fide atque Religione. Haec genibus innixa cum sociabus praedictam Virginem orat, ut salutem impertiatur Populo suo. Has preces exaudiri radius quidam e coelo vibratus innuit, qui Mortem, quam Pestis amplectatur, in fugam conjicit; quibus praetereuntibus aliqui exanimari videntur. Dein Angelus quoque vastator, ut ostendat, placatam esse iram divinam, gladium in vaginam recondit. Hoc opus anno 1673 Artifex hic noster elaborabat curante Guardiano Grandi, cum ad istam dignitatem promotus esset. Sic in templo etiam S. Jacobi varia reliquit Artis suae monumenta, inter quae miracula nonnulla S. Wilhelmi. Omnia autem pulchritudine superbiunt et mole colorumque vigore simul et gratia.

LXXXII. \*Carolus Patinus.<sup>1664</sup> „Theatrum“, inquit Tullius, „cum commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse locum, quem quisque occupavit“; Hinc magnus ille vir Carolus Patinus, Eques D. Marci, Doctor Medicus Parisiensis, et in Academia Patavina Professor celeberrimus, non in medio se loco, sed modestus ac prudens imo collocavit, ob veterem venerandae Antiquitatis picturam, remque nummariam, vel summo dignissimus; dignior tamen hoc ipso ad memoriam aeternitatis elogio, ceu monumento:

CAROLO PATINO,

Guidonis Professoris Regii filio,  
 Naturae ac antiquitatis mystae consultissimo,  
 Quem Parisiorum Lutetia,  
 Galliarum, ne dicam orbis, Metropolis  
 in lucem edidit;  
 Ipse patriam suam clariorem reddidit,  
 Qui tanquam Sol alter  
 Totam pene Europam lustravit et illustravit.  
 Anglia, Belgium, Germania, Italia  
 Tanti Viri doctrinam divinamque medendi peritiam admire,  
 Ut olim Hippocratem Graecia, et Galenum Roma,  
 Divinis propemodum sunt honoribus prosecutae.  
 Sacra Caesarea Leopoldi Majestas,  
 Serenissima Venetiarum Respublica,  
 multique alii Principes  
 Aureis torquibus cum Equitio titulo collatis.  
 Plura de ipso ex suo ipsius Lyceo eliciantur;  
 cui tamen parcè fides habenda,  
 cum nimis parcè, ac submissè nimis  
 Ipse de se sit locutus.

[Porträt Seite 341.]



LXXXIII. \*Gabrielidem Carolam Patinam<sup>1665</sup> exhibet haec tabella: Nomen apposui, Lector, ne Nympham Musam aut Charitem censores. [Seite 341]. Tanta quippe ejus oculis inest venustas, tanta fronte majestas, tanta ori dignitas, tantus animo cultus, ut e mortalibus procreata vix ullus mortalis conciperet. Parentes ipsi sunt Carolus Patinus et Magdalena Hommetz, in jugibus literarum deliciis sese exercentes, a quibus suavissimam morum temperantiam, deinde a sanctissimis monialibus pietatem, omnium bonorum scaturiginem et linguam Latinam edocta est. Germanicam mira celeritate addidicerat (dum invisendi patris desiderio flagrans VI annos nata Argentoratum deducta est) velociori Italicam, Geographiam sphaeramque tenet. Eruditae antiquitatis mysteria plurima callet; numismatibus valde delectatur. Poetis, Oratoribus, Historicisque perlegendis maxime incumbit; quibus et quidpiam de suo adjecturam, non exigua spes est.

Cedite jam Divae, quas pastor viderat olim  
Idaeis tunicam ponere verticibus.  
Hanc utinam faciem nolit unitare senectus,  
Et si Cumaeae saecula vatis aget.

LXXXIV. \*Sebastianus Bombellius,<sup>1666</sup> Vedinensis. Cum a teneris statim est studia ferretur, inter alia et Diagraphicem excolebat, quam cum matrem esse deprehenderet diversarum Artium liberalium, tantopere amebat, ut tandem ad Pictoriam abriperetur, electa prae coeteris eleganti illa Pauli Veronensis methodo, in qua circa picturas historicas incomparabili progressu inclaruit. Et procul dubio in universali hac via longe scandisset altius, nisi felicissima manus ejus ad picturas iconicas quasi invita abrepta esset, cum ab singularem assimilandi, gratiamque conciliandi dexteritatem ab omnibus quasi sollicitaretur effigierum causa. Unde et Sacra Sua Caesarea Majestas Viennam eundem vocari jussit, ubi totius familiae Caesariae icones elaboravit: quod pariter contigit in Aula Bavarica, Florentina, Mantuana, Parmensi, nec non ad instantiam Ducum Brunsvicensium et Lunaeburgensium variorumque Cardinalium; ita ut vix Magnates quidam existerent in vicinia, vel etiam qui ab exteris Venetias venissent, quorum non Effigies Bombellio pingendae fuissent. Hinc munera ipsi affluebant largissima, ut nihil de honorariis superaddam, quae a privatis in magna cumulabat copia. Effigium ejus Tab. 9 repraesentat. [Seite 341.]

LXXXV. \*Michael Neydlinger,<sup>1667</sup> Noricus. Artis pictoriae studia ea prosequutus est laude, ut inter alia memoratu digna in templo ad S. Annam Coenobiali Venetiis opus celebre, Apparitorum nempe B. Laurenti Justini, B. Nicolosae, praedicti Coenobii Abbatinae, Sacramentum porrigentis, et in templo del Soccorso tabulam, una parte praesentantem Christum mortuum in gremio Matris positum, altera vero ipsius resurrectionem, associatis Evangelista Johanne multisque Angelis et Militibus, post se reliquerit.

LXXXVI. \*Georgius Jacobus Lang,<sup>1668</sup> Noricus, cujus Parens summus fuit Artis Amator. Jactis in pictura dexterime fundamentis, Italiam adiit, ubi in pingendis tam Historiis, quam picturis Iconicis, profectus non mediocres dedit. Redux vero in Patriam. Illustrium Personarum aliorumque Icones tanto studio exhibuit, ut de Ingenio ejus multa praeclara nobis polliceamur, maxime, cum et ipse de novis inventionibus ex Virgilio Marone, adhibita figurarum Chalcographicarum Johannis Mayeri Tigurini ope, in lucem edendis sollicitus sit.

LXXXVII. \*Wolfgangus Laurentius Hopper,<sup>1669</sup> Augustanus. Haud ita pridem ex Italia reversus est, quippe qui in conficiendis Iconicis specimina praestitit non pauca et adhuc praestabit. Ejus laudem extollit similitudo penicillo exprimens, coloribus adhibitis pulcherrimis et hinc Principibus hujusque Artis Amatoribus maxime commendatus.

LXXXVIII. \*Merianorum Triga. Uberiorem sane mentionem Pag. 359 [Seite 245] celeberrimi illius Viri Matthaei fecimus Meriani, et quidem natu prioris; cui in hoc ipso studio sua ubique gloria debetur quam ex perclaris Ejusdem operibus effulgentem saepe conspicimus. Ad haec vero accuratius perficienda libente animo plurima cum Illo liberaliter communicavi, quae ad inventiones delineationesve manufactas a tenuitate mea petiti impetravitque. Ac ne veteri amicitiae nostrae quicquam deesset, filium Ipsius (qui stirpis maximus erat) Mathaei quoque nomine appellatum, pro discipulo meo habui docuique: Hujus vero laudes, in hac ipsa Arte consummatissimi, rursus iterumque re-



petere, haud opus esse autumo; quas Fol. 324 [Seite 200] satis superque, pro merito suo, commemoravi.

Dumque totus propemodum in eo nunc sum, ut colophonem Operi huic imponam, quasi comite Fortuna tertius ad me venit Matthaeus Merianus,<sup>1670</sup> quem sui simillimum pater filium, avus nepotem, corporis et artis suae imaginem prodixerunt. Is ipse, inquam, velut e vestigio Romani itineris sui, pede fausto, ad me accessit amicitiamque annorum LXVIII in memoriam mihi denuo revocavit pariter ac confirmavit. Quem nec amore nostro indignum esse censeo, ob tot illustria Artis hujusdem specimina, hinc inde abs se edita: In historiis enim excellit, imagines coloribus et siccis et oleo uvidis vere depingit; Magnatum Maecenatumque gratia imprimis, autem Serenissimi Electoris Brandenburgici, Herois Illius Incomparabilis, singulari usus clementia,<sup>1671</sup> ad longe majora anxio pede contendit. Nec mirum est, Tantum Principem favere Pictoribus, qui principatum in cunctis artibus ac scientiis non solum tenet verum et in medio Parnasso jam dudum regnat et in ipsas Musas dominatur: Hujus certa beneficio ac munere perfectissimus ille Artifex floret, labore atque industria evasurus multo superior. Qua veluti gemmarum triga hoc Opus meum (a Nobilissimo hujus Interprete Dn. Christiano Rhodio,<sup>1672</sup> etc. Liberal. Art. Studioso, e Germanico Latine versum, et felici stylo conditum) tandem obsignabo; haud immemor Ausonii, in grypho ternarii: Tris Numerus Super Omnia.<sup>1673</sup>





